



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

II. De causæ efficiente, finali, materia, ac forma Sacramentorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

CAPVT II.

De causa efficienti, ac finali, materia ac forma
Sacramentorum.

5. **C**ausam efficientem Sacramentorum assigna. Principalis efficiens causa vnus est Deus; instrumentalis coniuncta humanitas Christi, separata autem ipse minister, qui virtute Christi Sacramentum conficit.

6. *Quare Sacramenta instituta?* Ad hominis iustificationem solius. Congruè quidem ad id huiusmodi assumpra sunt media, quæ & diuinam misericordiam, iustitiam, sapientiam, & potestatem maximè decerent: & homini tum ad eruditionem, humiliationem, exercitationemque prodesse possent tum illum velut errantem, & vagum sub vnico Christianæ Religionis signo reducerent. *retinerent*

7. *Num Sacramentorum nostrorum dignitatem valebis exponere?* Minimè planè. Tanta enim eorum dignitas, vt si cum antiquis conferantur, iis & magnitudine utilitatis, & virtutis efficacitate, & vsus facilitate, & numeri paucitate præcellant. Si verò inter sese conferantur, de fide quidem est, ea paria non esse, cum Eucharistia simpliciter omnium sit præstantissima: licet Baptismo vni, atque Pœnitentiæ post culpam admittam, sola spectata necessitate, primatum iure concedat.

8. *Quanam materia ac forma Sacramentorum?* Constant quasi materia rebus, ac veluti forma verbis. Remota quidem materia in omnibus res aliqua naturalis est, v.g. in Baptismo aqua, &c. proxima ferè semper actio quædam est, aut passio, quæ remotam magis actuat, & ad subiectum vna cum forma determinat, v.g. ablutio in Baptismo. Vtraque à Christo determinata est, vnde non licet immutare. Forma verò Sacramentorum verba sunt, v.g. in Baptismo illa, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, &c.* Profectò si in forma sensus varietur, nihil fiet; quod si seruetur, admitti poterit aliqua mutatio, etiam si minister ritum aliquem intentet inducere, modo illum ita non exprimat, & verborum sensus ambiguus reddatur. *aliorum*